





13  
1754.4  
Pr.34. 20  
20

# COLLATIONEM IVRIS COMMVNIS ET NORICI IN MATERIA DE TVTELA ET CVRA

SVB DIVINIS AVSPICIIS  
DECRETO ET AVCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN CELEBERRIMA ACADEMIA PATRIA  
SISTIT

P.249  
AD DISPVTA NDVM  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
ATQVE PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI  
D. XIV. FEBR. A. O. R. C<sup>1</sup>CCLIV.  
PROPONIT  
PAVLVS MAGNVS VOLCKAMER  
NORIMBERGENSIS

---

AL TORFII  
TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.



ИЗОЛДА  
ЮРИЙ ТЕГРУМОСЕНИ  
АЛАТУТ АСАНДА  
АМОР

АДАМ ОРДИНАР  
АДАМ ОРДИНАР

АДАМ ОРДИНАР  
АДАМ ОРДИНАР

АДАМ ОРДИНАР





## PRO O E M I V M.



uanto magis miseranda est parentibus  
orborum eorumque calamitas , qui  
nondum educati , parentibus mortuis ,  
omnibus destituti sunt praesidiis ;  
tanto maiore cura ac diligentia illorum ratio est habenda ,  
quorum statu infelici Respublicae magnum faciunt detri-

A 2

mentum

mentum. Et quemadmodum secundum Ius Naturae nos iam sumus obligati ad salutem pupillorum quocunque modo promouendam, ita etiam Romani in hac materia erant cauti et prouidi. Omnimodo enim incommodis pupillorum, quibus adficiuntur, mederi studuerunt. Prudentissimi Conditores Statutorum Noricorum etiam de negligentia in hac parte accusari nequeunt; uariae enim leges in Refor. Nor. existant, quibus partim leges Romanorum approbatae, partim etiam praeter Ius Romanum quaedam in utilitatem pupillorum sanctae sunt. Utilitate huius materiae excitatus, finitis iam laboribus meis academicis, quaedam de differentia Iuris Romani et Norici in materia de tutela et cura differere placuit. Deum T. O. M. precor, ut annuat conatibus et coepta secundet. Abs Te autem B. L. ut, tenuitati meae parcens, et, quae forsan committam, uitiis, album cœlulum scripto adiicias, etiam atque etiam rogo atque contendeo.

§. I.



## §. I.



Antequam tractationem ipsam auspicor, prius explicandum erit, quid intelligatur sub uoce Iuris Communis. Proprie et in sensu stricto ius commune nihil aliud denotare uidetur, quam Ius Romanum. In hoc significatu etiam Ius Commune sumitur in Ord. Pol. de an. 1548. et Ord. Pol. 1577. in *gemeinen geschriebenen Rechten*. Eodem modo etiam in Nemeſi Carolina 1532. solemniter totius imperii consensu publicata, in qua Imperator, se eapropter suam Constitutionem Criminalem edidisse, quo in posterum secundum Ius Commune eo accuratius pronuncietur, non tantum expresse dicit, sed etiam in ipfa Constitutione frequentissime ad Ius Rom. *Kayſerliche geschriebene Rechte* prouocat art. 104. 117. 118. 120. 121. Contrariam sententiam fuisse CONRAD. SINCERVS siue KVLPISIVS in diss. epistol. de German. LL. ueter. ac Rom. Iur. auctorit. praesent. cum not. THOMAS. §. 8. et not. T. 44., qui nomine iuris communis *der gemeinen Rechte* in constitutionibus imperii a nobis iam adductis, iura germanica et domestica designari putat. Sed rationes eius non satis

graues mihi esse uidentur, praesertim quia in ipsis  
constitutionibus imperii Ius Commune Iuri Patrio et  
consuetudinario opponitur, Recess. Imper. de anno  
1654 §. 105, interdum tamen etiam sub uoce iuris  
communis intelliguntur LL. Germanorum, et saepius  
etiam Ius Canonicum denotat, BOEHMERI Ius. Eccles.  
Tit. de Const. §. 32. 50-60. et THOMAS. in Caut. circa  
praecogn. Iurispr. eccles. c. 22. §. 4.

## §. II.

Quando autem collatio instituenda inter Ius  
Commune et Noricum, secundum meam sententiam  
non sufficere mihi uidetur, tantum respicere ad Romanorum,  
sed ad ea quoque, quae Germanorum fuere, instituta,  
quaeque constitutionibus imperii disposita sunt,  
attentanda esse puto. His itaque praemissis, ius com-  
mune in hoc argumento nihil aliud denotat, quam  
ius romanum, moribus tamen Germanorum et le-  
gibus imperii accommodatum et auctum. Ut autem  
singularia eo facilius elucent, methodi ratio exigit,  
ut statim in limine perspiciamus breuissimis, quid in  
hac materia de tutela et cura tam in Iure Romano  
sancitum, quam quae Germanorum instituta fuerint,  
quaeque in Constitutionibus imperii in hac materia  
disposita sint, quo, eo facilius collatione instituta, et  
tam singularibus quam communibus utriusque iuris  
perspectis, rationes diuersitatis eo melius enucleari  
posint.

## §. III.

Secundum Ius Romanum distinguendum est in-  
ter tutelam et curam; prius itaque de tutela agen-  
dum

dum est. Tutela, ex mente Romanorum, est ius tuendi impuberem sui juris; quae definitio conuenit cum ea, quae occurrit in Inst. §. 1. h. t. Quia autem Reipublicae interest, ut eos, qui propter aetatem se defendere nequeunt, alii tueantur, ratio exinde deriuanda esse uidetur, cur Romani affirmarint, tutelam esse munus publicum, pr. Inst. de excus. tut. Ius tuendi impuberem sui juris alicui competit uel ex testamento, uel ex lege immediate, ueli iussu Magistratus; eamque ob caussam diuiditur tutela in testamentaria, legitimam et datiuam.

## §. IV.

Tutela testamentaria est, quam pater liberis proxime in potestate eius existentibus, et quidem impuberibus, in testamento perfecto constituit. Fundamentum huius tutelae testamentariae est patria potestas, §. 3. Inst. h. t. l. 120. de V. S. Tutores enim dantur impuberibus; id quod patet ex definitione. Impuberis autem nondum reputantur Iure Romano esse ciues, sed fiunt tales impletata pubertate, ergo non sunt nisi pars familiae; in eos, qui sunt in familia, exercetur uel dominica uel patria potestas. Hinc, quia in liberos sola exercetur patria potestas, consequens est, ut pater det liberis tutores ex sola patria potestate. Quia autem haec potestas matri non competit, ipsa enim erat in manu mariti, etiam tutores in testamento dare non potuit, nisi liberos heredes instituat, l. 4. h. t. quasi tunc in rem potius quam in personam tutorem dare uideatur. Tutor, cui patriae potestatis datus, non erat confirmandus, l. 7. h. t. quotiescumque autem in testamento imperfecto, aut eman-

emancipato filio datus, toties confirmari debebat, a Magistratu l. 1. ff. de confirm. tut. Etiam tutores, a matre uel alia persona extranea dati, confirmandi erant; hac tamen limitatione, quod tutor a patre datus confirmaretur sine inquisitione, l. 1. §. 1. l. 6. ff. de confirm. tut. quia paternum iudicium est loco inquisitionis, hoc est, quia pater praesumitur satis considerasse, utrum tutela non recte data liberis expeditat, nec ne? Tutores autem a matre constituti confirmabantur per inquisitionem, l. 5. ff. h. t. Germanis tutela testamentaria erat incognita, quia apud illos testamenta non condebantur; id quod patet ex Tacito de morib. Germ. XX. Heredes successoresque sui cuique liberi; nullum testamentum. Frequentiora autem erant pacta successoria, Romanis ualde odiosa, l. 15. Cod. de Pact. et loco tutelae testamentariae habebant tutelam pactitiam; parentes enim praesumebant optimum pro liberis capere solere consilium. Lapsu temporis tamen tutela testamentaria ex Iure Romano in Germaniam erat recepta, ita tamen, ut ne moribus Germanorum directe repugnet. Mater itaque, Iure Germanico, in testamento tutores dare potest, etiam si liberos heredes non instituerit, quia matri eadem potestas competit, quae patri, Consultiss. D. ENGAVII Ius Germ. p. 167. §. 298. Ratione confirmationis hodie nulla inter tutelas differentia obseruatur, sed omnes tutores, ipsi testamentarii etiam, confirmandi sunt. Ord. Pol. 1548. Tit. XXXI. §. 2. et 1577 Tit. XXXII. §. 2.  
*Dass auch ein jeglicher Vormunder, er sey gleich in Testaments-Weiss verordnet, oder durch das Recht, oder Richter gegeben, sich der Vormundschaft nicht unterziehen soll, die Verwaltung sey ihm dann zuvor durch die Obrigkeit decernirt und befohlen.*

§. V.

## §. V.

Postquam breuissimis iam actum est de tutela testamentaria, progredimur nunc ad secundam speciem, scil. ad tutelam legitimam; et etiam hic breues esse possumus. Defertur tutela legitima ex legibus proximi agnatis, non aliter uero quam deficiente tutela testamentaria, §. 2. Inst. h. t. quod ita intelligendum, si is, qui tutores dare poterat, quantum ad tutelam pertinet, intestatus decedit. Defertur haec tutela ex LL. XII. Tab. proximis agnatis, pr. Inst. h. t. l. i. ff. de legit. Tut. et fundamentum tutelae legitimae consistit cum in emolumento successionis, l. i. §. 1. ff. h. t. tum in eo, quod scil. agnati, ut sanguine, ita affectu, pupillis credituntur coniunctiores. Olim ratione successionis, et per consequens etiam ratione tutelae, distinguebatur inter agnatos et cognatos; quae differentia tamen per Nouell. 118. cap. 4. et 5. sublata est; in hac Nou. etiam mulieribus interdictum, tutelae subire officium, nisi mater et auia fuerit, quae omnibus a latere cognatis, ratione tutelae, praferuntur, testamentariis solis precedentibus eas; renunciare tamen debebant secundis nuptiis et Senatus Consulto Velleiano. Disputatur hac occasione inter DD. an scil. mater etiam auo paterno praferenda sit? Multi contrariam fountentiam; inter quos, maxima ex parte Glossatores ueteres, eminent CARPZOV. P. 2. c. 11. def. 13. alii autem affirmativus ad hanc quaestione respondent; quibus etiam non sine ratione assentior; ex Nouel. enim 118. patet, matrem omnibus indistincte esse praferendam, exceptis solis testamentariis. Ita rem explicant egregie SCHILT. Ex. 37. thes. 59.

B

LYDO-

LUDOVICI Vs. Pr. Distinct. Tit. de leg. tut. dist. i.  
 Deficiente tutela pačtitia et testamentaria, a lege, etiam secundum Ius Germanicum, ad tutelam uocatur, qui minori ab intestato succedebat: Neque etiam mater excludebatur, quae tutrix esse potuit, etiamsi ad secunda uota transierit, non enim desinit esse mater. Ad uitandam tamen suspicionem, quosdam adjungendos esse non dubito. Post matrem, tutela cedit fratri caeterisque cognatis, proximior tamen semper praefertur remotiori. In feudalibus proximus agnatus tutor est; sed, siue ex uno siue ex utroque latere sit coniunctus, perinde est; sola enim respicitur agnatio: Quod si in pluribus eadem, omnibus idem ius competit; nisi bona administranda ea sint, quae primogenito, aut aliis singularibus qualitatibus munito, cedant, SCHENCK diff. de praerogativa agnat. prae cogn. in suscip. tut. et cura quoad allod. et feud. §. 26. Tutela legitima apud Germanos etiam erat fructuaria, sive liberabat a rationum redditione, non tamen ab inuentario confiendo.

## §. VI.

Nunc tertia tutelae sequitur species, quam datiam uocant, si nempe a Magistratu tutor datur, deficientibus testamentariis et legitimis, quod Iure Romano ita fieri debebat, ut, quando testamentaria et legitima prorsus deficeret, uel testamentaria speretur, u. g. si tutor sub conditione aut ex die datus, aut excusat, aut remotus, aut proximior legitimus inhabilis, etc. in his casibus omnibus legitimus non admittetur, ne testator pro parte testatus, pro parte intestatus, decessisse uideretur, contra l. 7, de R. I. THOMAS. ad STRAVON.

STRAVCH. diff. v. thes. 10. et potius tunc obtineret datiu L. 11. pr. et §. 1. et 2. D. de test. tut. L. 3. §. 8. D. de leg. tut. §. 5. Inst. de Curat. Tutoris datio Iure Romano nec imperii nec iurisdictionis erat, sed ei soli competit, cui nominatum hoc dedit uel Lex, uel Senatus Consultum, uel princeps. Inde et Iurisdictionis extraordinariae actus dicebatur, STRVV. Ex. 4. thes. 67. Etiam moribus Germanorum, deficiente tutela testamentaria et legitima, tutor a Magistratu datur: Sed, intuitu dantis, non ita restricta erat tutoris datio, uti Iure Romano; nam, ui supremae tutelae, *der Ober-Vormundschafft*, cui libet Magistratui competit, ius dandi tutores, qui exercebat iurisdictionem in pupillum; eamque ob caussam tutoris datio a DD. refertur ad iurisdictionem ordinariam, et tutores tanquam uicarii Magistratus considerandi sunt, hinc etiam omnes omnino confirmandi sunt. STRYK. in Vs. Mod. Tit. de confirm. tut. §. 6. putat, tutores datiuos non esse confirmandos, quia Magistratus, eo ipso quod det, eum etiam confirmet: Obstat tamen ei Refor. Pol. 1548. et 1577. cit. loc.

## §. VII.

Tutores apud Romanos satisdare debebant, quod fiebat datis fideiussoribus, l. 1. ff. Qui satisd. cog. exceptis tutoribus testamentariis, quia paterno iudicio electi idonei uidebantur, l. 7. §. 5. de curat. furios. nisi post testamentum factum tutoris dati facta sit imminutio bonorum uel morum, l. 8. ff. de confirm. tut. Tutores etiam inuentarium confiscere debebant, nisi iusta caussa eos excuset, l. 7. pr. ff. de administr. tutel. Hodie omnes tutores indistincte cautionem

B 2

praesta-

praestare tenentur, quia saepissime dolose uersati sunt in rebus pupillorum, per Ord. Pol. 1577. Tit. 32. §. 1. non tamen necessario cautionem fideiussoriam hodie praestandum esse puto, sed etiam pignora aliaeque cautiones sufficietes pro statu admitti uidentur. Certe! Ord. Pol. 1577. l. c. requirit *genus same* Caution. Confectio inuentarii etiam per Ord. Pol. tutoribus iniungitur, tanquam fundementum rationum reddendarum. Ad securitatem pupillorum porro spectat praestatio iurisurandi Ord. Pol. praescripti; quae solennis praestatio iuramenti in plerisque prouinciis hodie negligitur, et simplex promissio in uim iuramenti praestatur, mit *Hand-Gelüb*, *Hand-Treu an Eydesstatt*, CARPZOV. R. 2. c. 11. def. 6. n. 14.

## §. VIII.

Pubertate impetrata, apud Romanos tutela finiebatur, et incipiebat cura. Cura in genere est ius administrandi bona eius, qui ipse propter aliquem defectum ea administrare nequit. Laborant autem defectu uel maiores uel minores. Curatela minorum a tutela ualde discrepabat: Curator enim dabatur puberibus quidem, sed primario rebus, personae tantum per consequens, §. 2. Inst. h. t. l. 20. ff. de R. N. l. 8. C. de Nupt. Et, quia olim Iure Romano tantum prodigis et furiosis ex LL. XII. Tab. curatores dabantur, atque ignominiosum uidebatur, homini ingenuo et fanae mentis obtrudere curatorem, l. 2. ff. si a parent. quis man. hinc inuiti curatores non accipiebant, §. 2. Inst. h. t. nisi forsan ex primo Capite Legis Lectoriae, de quo uid. GRAVIN. de LL. et Sct. cap. 35. et HEINECC. Antiqu. ad Inst. Tit. de curat. ex hac ratione

ratione etiam curatela testamentaria locum habere non potuit; neque etiam curatela legitima regulariter esse poterat in usu; quia ratio, ob quam tutela legitima deferebatur, nempe successio legitima, in eum, qui testamentum condere ualeat, applicari non potest, l. i. ff. de legit. tut. exceptis furiosis et mente captis; his enim, testamenti factione destitutis, succeditur ab intestato: Id quod etiam obtinet in Vasallis, quia agnatis successio adimi nequit, l. feud. 8. in fin. pr. Cura finitur maiorenitate, id est expleto XXV. aetatis anno, l. i. §. ult ff. de minor. Germani distinctionem inter tutelam et curam plane ignorarunt; tutela enim non finiebatur nisi maiorenitate. Inde nec hodie tam magna differentia inter tutelam et curam obseruatur, STRYK. Vs. Mod. Tit. de admin. et peric. tut. §. 24. 25. G. BEYER. Diff. de hodiern. tutor. et curat. differ. Imo minores iniuti curatores accipere tenentur per Refor. Pol. 1577. Tit. 32. §. 1. *Pupillen und minderjaehrigen Kindern, jederzeit, bis sie zu ihren Vogtaren labren kommen, Vormaender und Vorstebern, da die ibnen von ihren Eltern, in Testamenten oder letzten Willen, nit verordnet, oder ihre angeborne Freunde und Verwandten sich der Vormundschaft aus raechtmässigen Urachen mit unterzieben wollten, oder darzu tiglich und geschickt waeren, gegeben werden.*

## §. IX.

Nunc ad collationem ipsam Iuris Communis cum Iure nostro Statutario peruenio. Sed, ut ordine procedamus, primo consensum et dissensum inter Ius Commune et Reformationem Noricam, ratione tutelae; deinde ratione curae; indagare debemus; et

postremo etiam communia utriusque , perspicienda sunt. Quod ad tutelem attinet , distinguitur ea Iure Romano in testamentariam , legitimam et datiuam. Statuta nostra, intuitu huius diuisionis, eum Iure Romano conueniunt Tit. XXXIX. l. i. Primo itaque nunc agendum est de tutela testamentaria. Fundamentum huius tutelae erat patria potestas ; et mater regulariter tutores in testamento dare non poterat. Statuta Norica etiam hanc conclusionem assument, addita eadem limitatione , quam Ius Romanum agnoscit l. 4. ff. h. t. Reliquiae itaque patriae potestatis , quam Ius Romanum admittit , in Statutis Noricis se exserunt intuitu tutelae testamentariae ; alias enim in Refor. Norica tam matri quam patri patria potestas tribuitur , uti patet ex Tit. XIII. L. IV. §. i. Tit. XXVIII. L. IX , quod scil. pater simpliciter tutores in testamento constituit , mater autem liberos simul heredes instituere debet , prout Iure Romano dispositum. Conferatur itaque cum L. 4. D. et C. de Test. Tut. nostra Refor. Tit. XXXIX. L. II. §. i. conf. STRAVCH. diff. V. §. 4. Dn. de LVDEVVIG. diff. de diff. I. R. et Germ. de Tut. id qtid etiam in §. 5. de personis extraneis affirmatur , uerbis : *Es heten dann die Testierer dieselben Kinder zu jren rechten Erben eingesezt* , qui tamen confirmandi sunt a Magistratu auf vorgeende erkundigung. Ex his uerbis perfici posse puto , distinctionem inter confirmationem cum et sine inquisitione , Iure Romano usitatam , non plane esse sublatam. Intuitu matris uero , nou sufficit , quod legitima liberis sit relicta , sed ultra legitimam aliquid relinquendum est , legitima enim Iure nouo liberis adimi nequit. Quaeritur autem : An necessario

rio heredis institutio requiratur? Id quod affirmandum esse uidetur per Leg. 2. §. 2. Solche macht und Freyheit hat auch die Muter und Anfraw, So sie jre Kinder und Enigklein zu Erben eingesetzt haben.

## §. X.

Iure Norico, deficientibus tutoribus testamentariis, ad tutelam uocantur Executores testamentarii; nisi testator expressis uerbis aliter disposuerit. Id quod, praeter Ius Romanum, tanquam singulare statutum est Tit. XXXIX. l. II. §. 3. Ratio huius legis forsitan erit, quia fides eius, quem testator ad executionem elegit, satis probata etiam uidetur ad tutelam gerendam: Ex praesumpta itaque uoluntate testatoris hoc deriuandum esse puto. Inde haud difficulter decisio fluit Quaestionis: Ad quam speciem tutelae, ex tribus istis uulgatis, talis tutor proprie referendas sit? Nempe, secundum meam sententiam, quum ex praesumpta testatoris uoluntate et electione, ex probata fide huius uel illius Executoris, ratio legis desumenda, magis quidem testamentariae tutelae naturam deprehendere licet: Interim tamen, si legem spectes, quin et legitima uocari queat suo modo, non repugnarem: Ast, in tali sensu latiori, et testamentaria et dativa ad legitimam referri possunt, quia etiam hae ex legibus descendunt. Ratio tamen differetiae in eo se exserit, quod leges, ex quibus testamentaria et dativa introductae sunt, minime ipsos tutores designarint, sed aliis, facultatem eos designandi, tantum concederint; illae autem, quae secundam speciem constituant, leges, ipsos tutores nominent. Iude etiam Vlpianus in l. 5. ff. de leg. tut.

recte

recte dicit: Legitimos tutores nemo dat, sed Lex duodecim tabularum fecit tutores. Hanc dispositionem legis hodie non obseruari, affirmatur in Comment. ad Cod. Iur. Stat. Nor. Quod et ego lubens amplector, quia hodie Executores testamenti non facile sine necessitate hoc onus tutelae suscipere tenentur. In contraditorio autem ad dispositionem huius legis forsan respiciendum erit.

## §. XI.

Deficiente tutela testamentaria, proximiis agnatis ea defertur, pr. Inst. h. t. Statuta Norica etiam tutelam legitimam, deficiente testamentaria, adoptarunt Tit. XXXIV. l. III. Imo et mater, p[ro]ae omnibus aliis, tutelae administrationem suscipere potest, §. 1. h. t. So werden nach den Eltern, die nachstgefezte Freund zur Vormundschaft zugelassen und berufen; h. c. qui gradu sunt proxiniiores. Mater autem sola non admittitur, sed a Supremis DNN. Tutoribus duo Contutores ex agnatis uel cognatis ( von der Freundschaft ) iisque deficientibus, alii, ad hoc munus publicum idonei, adiunguntur, quorum ope et consilio bona pupillorum administrare matri licet §. 3. h. t. Eiusmodi Contutores, tanquam tutores honorarii, considerari possunt; dati enim sunt, quasi obseruatores et custodes, arg. l. 3. §. 2. ff. de admin. et pericul. tutor. quibus etiam quotannis a matre rationes reddendae sunt per R. N. h. t. §. 3. Iure Romano mater renunciare debebat secundis nuptiis et Senatus Consulto Velleiano. Quod ad prius attinet, Iure Norico, mater, ad secunda uota transiens, tutela liberorum priuat[ur]; quae, redditis rationibus, contutoribus defertur, per Refor. Nor.

Nor. h. t. §. 4. quoad SenatusConsultum Velleianum autem adhuc disputari posse puto, utrum secundum Statuta Norica renunciare debeant, nec ne? In L. III. h. t. §. 2. expressis uerbis affirmatur: *Sie sol- len sich jrer weiblichen Freyheit verzeihen quae uerba pro- cul dubio de SenatusConsulto Velleiano intelligenda;* contradicere tamen uidetur Tit. XIX. l. 3. §. 1. ui huius legis enim uiduis et uirginibus beneficium huius SenatusConsulti denegatur, et hoc modo superfluum esset, beneficio Senatus consulti Velleiani renunciare, quod tamen affirmatur d. L. III. §. 2. h. t. Sed ego nec Conditores Statutorum Noricorum Prudentissimos hic sibi aperte contradixisse patiar, suo modo enim negari potest, per L. V. §. 1. Tit. XIX. usum huius beneficij in genere esse abolitum; usus certe SenatusConsulti Velleiani per hanc legem tan- tum abrogatus esse uidetur intuitu commerciorum, quae limitatio expressis uerbis in lege inuenitur: *Wie- wol die Weibspersonen durch die Kaiserliche Rechte, der Piirschaft halb, hochfuergesehen und gefreyet sein, jedoch nach gelegenheit aller Handathierung dieser Stat etc.* Id quod etiam in fauorem liberorum, maioremque eorum securitatem introductum esse iudico, et quidem ex ea- dem ratione, ex qua hoc singulariter dispositum est in L. III. h. t. §. 2. quod mater propria bona sua in securitatem liberorum expresse hypothecae subiiccere teneatur.

## §. XII.

Iure Romano etiam pater legitimus erat tutor liberorum suorum, l. 3. §. ult. ff. de leg. tut. Pater enim, qui filium aut filiam, nepotem uel neptem

C eman-

emancipauit, legitimus eorum tutor erat. Pater nempe, ut manumissor, tanquam patronus succedit filio; Vbi autem est emolumentum successionis, ibi etiam tutelae onus esse debet, L. 73. pr. ff. de regul. iur. Pater itaque tanquam patronus, tutelam liberorum suorum emancipatorum suscipere debebat, §. un. Inst. h. t. Quamuis uero hodie huius tutelae Iuris Romani uix usus esse uideatur, rarissime enim uel plane non, moribus hodiernis casus occurrit, ut pater filium emanciparet impuberem: Iure Norico tamen pater itidem dicitur tutor liberorum suorum Ref. Nor. h. t. L. III. §. 5. seiner Kinder Vormund und Versorger. Fundamentum huius tutelae, prouti hodie comparata, non ex emancipatione s. ex patronatu deriuandum est, ut in Inst. l. c. sed magis ex moribus Germanorum. Parentes enim administrabant bona liberorum tutelae nomine, HEINECC. lib. I. §. 138. matre itaque defuncta, tota administratio patri competit; et ex hac ratione dicitur tutor s. administrator liberorum suorum uia patriae potestatis; et nomine liberorum agens, non agit *kraft väterlicher Vormundschaft*, sed magis *kraft väterlicher Gewalt*; et quia parentibus propter onus alendi competit usus fructus in bonis liberorum, uid. Ill. ENGAVII Elem. Iur. Germ. pag. 170. id etiam ratio esse uidetur, quare Iure Norico patri, tanquam tutori, ususfructus in bonis liberorum competit, L. III. h. t. §. 5. l. 1. C. de bon. mater. et l. 6. C. de bon. quae lib.. Non tamen necessario contutores a Magistratu patri adiungendi sunt, nisi sit prodigus aut bona dilapidare cooperit, tunc enim tutela liberorum suorum priuatur, aliquique tutores a Magistratu constituantur, L. III. h. t. §. 6. in fin. alias.

alias enim arbitrio et iudicio Magistratus relinqu debet, utrum patri contutores adiungendi sint, nec ne? Secundum praxin hodiernam, omnes contutores accipere debent, quod inter alia patet ex Rescripto d. a. 1599. Mens. Mart. quod citat WYREBAIN. de diff. Iur. Civil. et Reform. p. 199.

## §. XII.

Iure Norico non solum patri, sed etiam matri competit ususfructus in bonis liberorum suorum. Intuitu ususfructus patri competentis distinguendum est inter matrimonium cum et sine pactis dotalibus initum. Pactis dotalibus initis, patri competit ususfructus in bonis maternis, Tit. XXXIII. l. I. §. 2. ad dies uitae, etiam si aliam ducat in matrimonium; re tamen ita uti debet, ut salua maneat substantia, secundum naturam ususfructus, pr. Inst. h. t. Onus tamen alendi et dotandi ususfructuario huic incumbit, Refor. Nor. eodem XXXIII. §. 3. Matrimonio sine pactis dotalibus inito, *in versammten und unverdingten Heyrathen*, etiam patri ususfructus competit, non tamen ad dies uitae, sed secundis nuptiis et separatione amittitur, Tit. XXXIII. l. III. §. 2. Matri non competit ususfructus, matrimonio cum pactis dotalibus inito, sed tantum usus, Tit. XXXIII. l. II. §. 2. *zu jrer und der Kinder Leibesnarung gebrauchen und genießen*, nisi ad secunda uota transeat, aut separationem instituat. Ratio huius differentiae intuitu patris et matris haec esse uidetur, quia uiduae secundo nubentes plus damni afferunt liberis, quam patres uidui: Negari enim non potest, quin patris fides integrior et constantia maior sit; matrum uero animi

molliores et leuiores, adeo, ut nouis maritis non solum res filiorum, sed etiam uitam addicant, l. 22. C. de admin. tut. §. serui. Matrimonio sine pactis dotalibus contracto, pater et mater eadem habent iura intuitu bonorum liberorum. Quaeritur: An etiam ususfructus finiatur, liberis matrimonium ineuntibus? Ad hanc quaestionem negatiue respondendum uidetur, quia liberi coniugati, ne per testamentum quidem parentibus suis usumfructum adimere queunt, Tit. XXIX. l. 5. §. 2. Quia autem parentes bona liberorum tanquam tutores administrant, etiam inuentarium confidere, et rationes reddere, tenentur, Decret. 1585. 12. Jun. Vi huius Decreti parentes non prius proclamantur, antequam se inuentarium confecisse, et liberis tutores constitutos esse, probarunt. Hanc inuentarii confectionem ne per testamentum quidem sibi inuicem remittere possint parentes, Decret. 1671. et 1674. 6. Mart. et Decret. 1671. 23. Jun.

### §. XIII.

Nunc etiam inquirendum, quae Iure Norico de tutela dativa disposita sunt. Dantur etiam tutores a Magistratu, Tit. XXXIX. l. III. Von Vormundern die von der Obrigkeit gegeben werden, deficiente tutela legitima et testamentaria l. III. h. t. Ex dispositione huius legis, quod, deficiente tutela testamentaria, statim tutela dativa locum habeat, *Want inn Geschäftten oder Testamenten, den Kindern keine Vormunder geordnet, So werden denselben Kindern, so es die noturft erfordert, von der Oberkeit Vormunder gesetzt*, dubium oriri posset de prorsus exclusa tutela legitima: Sed ex lege ipsa dubium facile dissipare possumus, ubi ex ipsis uerbis:

uerbis: *sō es die noturfft erforderet*, patet, deficiente tutela legitima, demum ad datiuam esse deueniendum. Haec potestas dandi tutores, non, uti in Iure Romano, ex speciali concessione Magistratui competit, sed hodie ad iurisdictionem ordinariam refertur: Neque amplius, secundum praxin hodiernam, stricte ad cognationem respicitur, quin et extraneis personis tutela a Magistratu deferri queat.

## §. XIV.

Egimus hactenus de tutela; in genere, eiusque diversis speciebus, et modis deferendi. Nunc progrediamur ad modum tutelam finiendi. Iure Romano tutela finiebatur pubertate; de qua cum lis esset inter Proculianos et Cassianos, Iustinianus priorum sententiam approbauit, et masculorum pubertatem expletio an. XIV. puellarum uero post annum XII. finiri statuit, pr. Inst. h. t. Germani terminum pubertatis et maiorennitatis uix distinxerunt, ENGAV. Elem. Iur. Germ. pag. 249. exceptis Wisigothis, qui hanc distinctionem exemplo Romanorum obseruarunt, HEINNECC. in El. Iur. Germ. lib. I. Tit. XV. §. 336. Statuta Norica intuitu termini pubertatis cum Iure Romano conueniunt, Tir. XXXIX. I. XI. §. 1. *die pleiben impverwaltung solcher Vormundschaft, bis die Pflegkinder, nemlich die Knaben vierzehn Jar, und die Maidlein zwölf Jar erlangt haben;* add. I. I. h. t. §. 1. ubi impuberes dicuntur *unmündige und unvogtbare Kinder.* Vox germanica *unmündig* deriuatur a Mundio: Mundium apud Germanos erat potestas, consistens in obligatione alterius personam dirigendi et alendi; *unmündig* itaque uocatur qui non habet facultatem se et bona sua defendendii

dendi atque dirigendi. In legibus Longobardicis saepe occurrit uox mundii, et plerumque significat tutelam. Hinc etiam illa Iuris Alemanici formula: *Er ist noch nicht Mundbar*, i. e. non est sui iuris. Eodem modo explicandum erit uocabulum *unvogtbar*. Apud Germanos enim *Vogt* significabat defensorem siue administratorem, *unvogtbar* itaque etiam eiusmodi hominem denotat, qui se et bona sua defendere nequit, VVEHNERI Obs. Iur. pag. 511. et 650. Eodem sensu uocantur *unmündige* in Recess. Imper. 1548. et 1577. Interdum tamen uocabulum *unmündig* etiam denotat nondum maiorenem, Tit. V. l. III. §. 4. Refor. Nor. Hodie terminus pubertatis per obseruantiam ponitur in ann. XVIII. uid. Cl. Dn. BVRCKNER de Iud. Tut. pag. 62.

## §. XV.

Finita tutela, Iure Romano cura adolescentibus non inuiti incipiebat, de qua iam in antecedentibus egimus. Iure Romano magna erat differentia inter tutelam et curam, et imprimis ratione modi curam finiendi. Finiebatur enim cura maiorenitate, l. i. §. ult. ff. de minor. Statuta Nórica, salvo termino maiorenitatis, in eo etiam cum Iure Romano conueniunt, Refor. Nor. h. t. l. 5. §. 5. et lex XI. §. 1: *sollen sie Curatores und versorger seyn, bis die Pflegkinder achtzehn Jar jres alters erfüllt haben.* Hanc differentiam Germani plane ignorarunt, nec aetatem uti Romani distinxerunt. Liberi enim apud Germanos erant uel *mündig* uel *unmündige*: *Mündig* uocabantur ii, qui perfectam aetatem siue maiorenitatem adepti sunt; et qui non erant perfectae aetatis, dicebantur

bantur *unmündige*. Tutela itaque finiebatur maiorenitate, HEINECC. Elem. Iur. Ger. pag. 311. 375. Quibus apud Romanos competebat potestas administrandi bona eius, qui pubertatem iam adeptus est, dicebantur Curatores, et a tutoribus distinguebantur, uti ex anteced. patet. Statuta Norica, quoad nomina, tutores et curatores distinguunt; nam in l. i. h. t. §. 5. tutores, impetrata pubertate, dicuntur curatores siue *Versorgere*, uti etiam in l. XI. h. t. §. 1. In Refor. Pol. 1577. et 1548. nulla accurata distinctio inter tutores et curatores occurrit, sed in genere dicuntur *Vormunder und Vorsteher*. Etiam in multis Statutis Germaniae, curatores uocantur *Vormundere*, STRYK. Vf. Mod. pag. 367. Circa administrationem tutorum et curatorum, Iure Norico singularia non uenient obseruanda, tam ratione officii quam potestatis. Communia enim sunt, quae de illorum officio speciatim sanciunt Statuta nostra. Tit. XXXIX. l. VII, Id quod etiam obseruatur ex lege sequenti, ubi de tutorum et curatorum officio indistincte agitur, adeo, ut etiam ista differentia, quae Iure Romano inter tutores et curatores erat introducta ratione obiecti, plane uideatur esse sublata. In genere enim tam tutores quam curatores et personis et rebus dantur: *auch die Kinder die jre hab und gütter in und außer Rechtens vertreten und jrer halb clagen und durch sich selbst oder jre vollmächtige Anweld, handeln, schützen und verantworten.* Hinc etiam per Statuta Norica minores consensum curatorum ad sponsalia contrahenda impetrare debent, Tit. XXVIII l. IX. §. 1. *Es soll auch diese Person etc.* Nec ratione distinctionis inter auctoritatem, et consensum, Iure Norico inter tutores et curatores ulla differentia obseruatur.

seruatur. Igitur non dubitandum est, quin Statuta Norica circa tutelam et curam administrandam, magis conueniant cum Iure Germanorum, quam cum Iure Romano. Quo ipso tamen neutquam in genere differentiam inter tutores et curatores sublatam esse affirmo. Dantur enim loca, ubi differentiae secundum Ius Romanum obseruantur, STRYK. VI. Mod. pag. 401. Curatela, Iure uel Romanorum, erat uel legitima uel dativa: Legitima erat furiosorum et prodigorum; dativa erat minorum, qui propter defectum aetatis rebus suis supereresset nequeunt, §. 4. Inst. h. t. Testamentaria curatela olim non fuit in usu. In uitis minoribus curatorem dari non potuisse, et curatores non nisi uolentibus datos fuisse, supra dixi. Quia autem hodie per consuetudinem minores indistincte compelluntur, ut recipiant curatores; non est dubium, quin quoque cum effectu curatores per testamentum constituantur. Id quod etiam approbat R. P. 1577. Tit. 32. §. 6. promiscue enim tutoris et curatoris testamento dati mentionem facit. Statuta Norica pariter hanc distinctionem agnoscer cidentur, per L. XI. §. 2. h. t. ohne Unterscheid sie wären durch Verordnung des Testaments oder sonst zu Vormundern und Curatoren gesetzt. Secundum praxin iudicariam, minor interrogatur, num consentiat, ut persona praesens et adstans sibi curator constituatur, nec ne? In eo tamen Statuta Norica a Iure Romano recedunt, quod tutores finita tutela curatam suscipere debeant, l. c. h. t. §. 5. et L. XI. §. 1. Iure Romano, finita tutela, curam suscipere tutor non tenebatur, sed eo ipso ob tutelam antea gestam a cura excusabantur, §. 15. Inst. h. t. Quia satis abundeque sufficit, si cui uel in paucis amici

amici labore consulatur , l. 20. C. de neg. gest. HOPP. Comment. ad Inst. h. t. Quod si tamen sponte sua administrationem continuet, a cura se amplius excusare nequit. Iur. Nor. autem indistincte omnes tutores curam liberorum suscipere tenentur.

## §. XVI.

Iure Romano cura finiebatur impetrata maiorenitate , id est, expleto XXV. aetatis anno , l. i. §. ult. ff. de minor. post hoc enim tempus compleri uirilem uigorem , constat. Germani uarios terminos maiorenitatis posuerunt. Quidam annos uiginti , alii octodecim, exigebant, HEINECC. El. Iur. Ger. p. 276. Statuta Norica ad maiorenitatem XVIII. annos requirunt Tit. XXXIX. l. i. §. 5. et l. XI. §. 1. *sie sollen Curatores sein bis die Pflegkinder 18. Jahr ires alters erfüllt haben*; tunc dicuntur esse in irem völligem alter , Tit. XXXVI. l. i. et nulla differentia inter masculos et faeminas intuitu maiorenitatis inuenitur. Obstare quidem uidetur l. XI. Tit. XXVIII. ibi enim alias terminus maiorenitatis ponitur, dum in §. 5. minores consensum curatorum ad sponsalia contrahenda impetrare debent , nondum expleto XXV aetatis anno si masculus , et si foemina , XXII. an. Ad hasce leges conciliandas, affirmant , hanc legem tantum interpretandam esse de liberis , qui adhuc sub potestate parentum existunt , qui scil. intra hoc tempus sine consensu eorum matrimonium contrahere nequeunt ; minime autem ad pubertatem aut maiorenitatem, intuitu liberationis a cura , esse referendam. Sed haec conciliatio legum mihi non arridet , quia non tantum leges loquuntur de liberis , qui adhuc sub patria potestate existunt , sed etiam applicantur minoribus ,

D

E

*Es soll auch diese Person, die den Eltern oder den Vormundern oder Curatoren Eleiblich- oder Pflegkind, on ir wissen und Bewilligung, unter den bemelten Iaren, aberworben hat: Hinc ad euitandam hanc contradictionem, aliquo modo affirmare licet, hanc legem ex l. i. §. 5. Tit. XXXIX. interpretandam esse, uerba: unter den bemelten Iaren, ita explicari possunt, nondum expleto XVIII. aetatis anno. Hodie tamen indistincte curatela finitur 25. an. Decret. 16. April. 1582. et 1584. et 17. Jun. eiusd. an. Ius Noricum itaque, per obseruantiam, ad consonantiam cum Iure Communii redactum est.*

## §. XVII.

Praeter minores, Iure Romano etiam sub curatela erant, qui propter uitium corporis uel animi rebus suis superestè nequeunt, e. g. mente capti, surdi, muti, et qui perpetuo morbo laborant, uti etiam prodigi et furiosi, qui erant sub curatela legitima. Defertur enim agnatis ex LL. XII. Tab. §. 3. Inst. h. t. Iure nouo, Magistratus furiosis, caussa cognita, curatores constituit, l. 6. et 13. ff. de curat. non tamen facile praeteribit propinquos, si modo habiles ad curatelam suscipiendam, l. 13. ff. eod. Statuta Norica etiam de curatela eiusmodi personarum mentionem faciunt in L. IV. Tit. XXXIX. §. 3. Dantur illis curatores a Supremis Dnnis Tutoribus, propinquis intercedentibus. Deficiente causa, ob quam curatores dati sunt, deficit cura; et rationes a curatoribus reddendae sunt: Quod si tamen per aliquot temporis spatium huius status mutatio non sequuta, quotannis rationes reddere tenentur, L. XI. h. t. §. 5. et 6.

## §. XVIII.

Praemissis hisce singularibus tutelae et curae, sequuntur nunc communia. Quorum primum est confir-

confirmatio Magistratus, quae hodie semper accedere debet, tutor sit uel testamentarius uel legitimus uel datius, Refor. Pol. 1548. Tit. 32. §. 2. et 1577. Tit. 32. §. 2. neque etiam sine decreto Magistratus ad administrationem admittitur. Secundum mores Germanorum omnes tutores egebant confirmatione, quia Magistratus atque Principes Supremi pupillorum Tutores sunt iis supremae Tutelae, *Ober-Vormundschaft*, et tutores, tanquam uicarii magistratus, in curanda pupillorum salute considerandi sunt. Haec confirmatio distingui debet a confirmatione Romana; haec tollebat defectum, et pertinebat ad ipsam constitutionem; illa uero eo pertinet, ut tutoris administratio et exercitium tutelae confirmetur. Quod ad priorem confirmationem attinet, illam adhuc hodie per Ref. Nor. obtinere, non negandum est in tutoribus testamentariis ab extraneis datis. Haec enim confirmatio tollit defectum et ipsam constitutionem respicit, quia confirmantur praeuia inquisitione, Tit. XXXIX. l. II. §. 5. Inter communia quoque referri potest iuramenti praefatio, Ord. Pol. 1577. Tit. 32. §. 3. mit Gelübden und Eyden beladen werden; id quod etiam ob securitatem pupillorum per Ref. Nor. obseruatur. Quod iuramentum tamen non ubique solemniter, sed in plerisque locis stipulata manu, praestatur; id quod etiam ualeat ex Refor. Nor. h. t. 1. VII. an Aydesstatt vollgende Pflicht zu thun. Singulare tamen est, quod tutores in Iudicio Tutelari, catores autem in Iudicio Ciuitatis, hoc iuramentum praestare, uel potius stipulata manu, iurisurandi loco, promittere debeant. Huius differentiae ratio difficulter perspicitur; neque enim illa esse uidetur, quod cutores

ratores non tam personis minorum aliorumque , quam bonis illorum dentur ; nam etiam tutores dantur bonis liberorum, eorumque bona ipsi administrant; et tamen Magistratui tutelari fidem stipulata manu re promittunt. Fortassis ratio in hoc quaeri posset , quod Statutum l. c. primario loquatur de constitutione tutorum ; deinde, quia minores XXV. annis olim apochas dare, et contractus celebrare potuerant ; quod postea sublatum, et ordinatum fuit, ut huiusmodi minoribus curatores ad quietandum darentur , uid. Decret. de 15. Jun. 1584. Hi curatores consti-  
tuebantur in iudicio , quod sine dubio tractu tem-  
poris ad omnes curatores extensum est.

### §. XIX.

Iure Romano tutores et curatores satisdare de-  
hebant , datis fideiussoribus , rem pupilli uel adolescentis saluam fore , si uel ulla in eos cadat suspicio , l. r. et seqq. ff. rem pupil. salu. Etiam per Refor. Pol. 1577. tutores cautionem praestare tenentur , uti ex anteced. patet. Statuta Norica hanc satisdationem, siue cautionem specialem, a tutoribus uel curatoribus non exigunt: Praefito iuramento, ab hac satisdatione tutores immunes sunt Tit. XXXIX. l. VII. §. 3. So dann die pflicht obermelter weiss geschehen ist, sollen sie, derselben verwaltung halb, verner Pürgschafft oder fürstand zu thun nit schuldig seyn. In eo etiam conueniunt Statut. Francof. P. 7. Tit. II. §. 36. In eiusmodi autem locis , ubi cautio expresse non remissa, praestari omnino debet ; a qua tamen tutores liberabuntur, si immobilia possident, in quibus, ut et reliquis bonis, tacita hypotheca compe-  
tit pupillis. Tertium Commune est confectio inuenta-  
rii, quod, tanquam fundamentum administrationis et red-

reddendarum rationum , ualde necessarium esse uidetur , h. t. l. VIII. §. 1. adeo , ut , ne per testamentum quidem , parentes hanc confectionem inuentarii sibi inuicem remittere queant, Decret. d. 12. Iun. 1585. 1671. d. 13. Iun. d. 6. Mart. 1674. Plura de inuentarii confectione uid. in Tit. XXXVIII. Refor. Nor. von Inuentirung der Gütter. Neglecto inuentario , Iure Norico tutores tenentur ad poenam pecuniariam 50. flor. Rhen. fisco applicandam , l. VII. h. t. §. 2. et si dolose egerunt , arbitrarie etiam puniuntur , et id quod interest praestare tenentur. Ratione administrationis et culpae praefandae nulla intercedit differentia inter Ius Romanum et Statuta Norica , per l. 57. ff. de administ. tut. et l. VII. Ref. Nor. h. t. getreulich , erbarlich und aufrichtig damit handeln.

## §. XX.

Vltimum tutelae et curae est rationum redditio. Tutores enim et curatores administrant bona eorum , qui rebus suis superesse nequeunt. Administratores autem rei alienae ex quasi contractu ad rationes reddendas tenentur , l. 2. ff. de negot. gest. et l. 1. §. 3. de tut. et ration. distrahit. Olim finita tutela et cura rationes reddebantur ; absurdum enim uidebatur , a tutoribus rationem administrationis negotiorum pupilli reposci , in qua adhuc perseverant , l. 9. §. 4. ff. de tut. et rat. Ne quid tamen detrimenti pupilli atque minores accipiant , dum diutius in rebus pupillorum graffandi facultatem habent , Ius Canonicum in Clem. Quia contigit 2. §. 1. de relig. domib. quotannis rationum redditionem tutoribus et curatoribus iniunxit ; quod deinde secuta est Ord. Pol. 1548. Secundum hanc constitutionem autem non tenentur , nisi auf Forderung der Obrigkeit. Per Ord. Pol. 1577. autem ,

D 3

etiam

etiam sponte sua, ui officii et iuramenti praestiti, rationes quotannis offerre et reddere tenentur: jährlich nicht allein auf Erforderung der Oberkeit, sondern auch selbst, vermög seines anbefoltenen Amts auch geleisteten Pflichts und Eydens pebükrliche Rechenschaft anbieten und thun etc. Iure Norico tempus ad rationes reddendas non determinatur, magisque cum Iure Romano conuenire uidetur Statuta nostra. Per l. XI. enim imprimis tutor et curator rationes reddere tenetur finita tutela et cura: sie sollen Curatores und Verfolger sein bis die Pflegkinder achtzehn Jar ires alters erfüllt haben, alsdann mögen sie, auf gepürliche Rechnung, der Vormundschaft und Curation abtreten et l. XII. §. 1. Exceptio tamen ab hac regula in l. XI. §. 6. occurrit, ui huius legis curatores furiosorum, mente captorum etc. quotannis rationes Supremis DNN. Tutoribus reddere debent. Et eodem modo, Iure Romano curatores furiosorum ante finitam curatela conueniri possunt, l. 4. §. 3. ff. de tut. et rat. distr. Curatela enim furiosorum non ita certo tempore finitur, uti pupillorum, sed interdum per longum temporis spatium cura continuanda: Inconueniens itaque, et cum summo furiosorum damno coniunctum esset, rationum redditionem finita demum curatela exigere, STRYK. Vs. Mod. lib. XXVII. Tit. III. §. 7. Iure Norico etiam ante finitam tutelam et curam rationes reddendae sunt, l. VII. enim, ut legitimo tempore rationes reddantur, zu gepürlichen Zeiten, exigit, quoniam uero tempore, hoc iudici uel iudicio tutelari relinquendum est, Cl. Dn. L. BVRCKNER de jud. tut. pag. 115. §. 25. WVRFBAIN. in different. iur. pag. 42. nr. 34.

## §. XXI.

Ad has rationes reddendas et damna resarcienda, contra tutorem eiusue heredes agitur actione tutelae

telae, l. 1. pr. ff. de tut. et rat. Actio tutelae olim  
 erat perpetua, et longi temporis praescriptio eam non  
 prohibebat, l. 8. C. arbitr. tut. l. 5. C. quib. non  
 obiic. long. temp. praescript. add. l. 3. C. de praescript.  
 XXX. an. Actiones enim annis triginta con-  
 tinuis extinguntur, quae perpetuae uidebantur.  
 Idque eo magis affirmandum, quia etiam est actio  
 ex quasi contractu et personalis, quae ordinario da-  
 tur intra XXX. annos l. 3. C. de praescr. 30. an. Intra  
 hoc itaque temporis spatium, contra tutores et cu-  
 ratores heredesque eorum, actio tutelae institui pot-  
 est. Iure Norico singulare quid constitutum est ratione  
 praescriptionis actionis tutelae contra heredes: Quod  
 si enim pupilli suos tutores, ad rationes reddendas,  
 intra biennium non conueniunt, deinde contra heredes  
 non amplius audiuntur, l. XII. h. t. Refor. Nor. §. 1.  
 et 2. ne scilicet heredes tutorum uel curatorum sine cul-  
 pa sua laedantur, et de administratione eorum tenean-  
 tur, qui ex tutela uel cura dudum exierunt: Id quod ta-  
 men facile fieret, licet heredes tutorum uel curato-  
 rum bona pupillorum non administrarint. Haec  
 dispositio legis limitanda est intuitu bonorum adhuc  
 in bonis haeredum existentium. Nam elapso etiam  
 biennio, pupillus non impeditur, quo minus res suas,  
 quae adhuc in bonis heredis existunt, vindicare possit,  
 quia tunc contra tales, non tanquam heredem, sed  
 tanquam possessorem, instituit actionem realem;  
 quae tamdiu durat, quamdiu alicui competit ius in  
 re; nemo enim cum damno alterius locupletari de-  
 bet. Tutores tamen et curatores, etiam elapso bien-  
 nio, conueniri possunt, quia tunc deficit ratio legis; et  
 in fauorein tantum heredium, actio tutelae praescribi-  
 tur

tur biennio. Eadem legis dispositio etiam inuenitur in Reform. Francof. P. 7. Tit. XII. §. fin.

§. XXII.

Coronidis loco adhuc quaedam addenda sunt de foro , in quo causae tutelares tractantur ; et breuissimis etiam de modo procedendi agendum erit. Iure Romano actio tutelae instituenda erat in foro administrationis, l. 1. C. ubi de ratioc. neque tamen forum domicilii excludendum esse , multi affirmant. Norimbergae Iudicium singulare constitutum est , quod uocatur Iudicium Tutelare , quodque hodie tanquam Instantia consideratur : Id quod patet ex Scto 19. Octob. 1633. *weilen der eingezogenen Meynung nach in allewege vor einer ordentliche Instanz zu halten.* In hoc Iudicio caussae pupillorum tractantur : Iudicium tamen Ciuitatis quodammodo, ratione constitutionis, concurrentem habet iurisdictionem. De origine et statu hodierno huius Iudicij quaedam adiicere , superfluum mihi esse uidetur ; ex instituto enim et luculenter de hac materia iam egit saepe laudat. Dn. Lic. BVRCKNER , huius Iudicij Secretarius Primar. adhuc bene merens, in diff. inaug. de Iud. Tut. Norimb. Modum procedendi quod attinet , quia hoc Iudicium tanquam Instantia consideranda , etiam substancialia processus non sunt negligenda; proceditur autem summariter , et tautum usque ad duplicas : Immo caussae non magni momenti oretenus per Procuratorem proponi possunt.

Sententia grauatus appellare potest intra decen-  
dium ad Perilliustr. Senatum.

T A N T V M.

PRAE-

PRAENOBISSIMO DOCTISSIMO QVE  
 DOM. CANDIDATO  
 AMICO SVO CERTISSIMO  
 S. P. D.  
 CAROLVS COLMAR. I. V. D.

**S**ingularem TVAM in me Benevolentiam, ueraeque Amicitiae Pro-  
 pensionem, qualem ex tot manifestissimis expertus sum argumen-  
 tis, tam firma ac tenaci Memoria seruo, ut nulla Actas eam delere  
 unquam ualeat. Mirum itaque TIBI, PRAENOBISSIME DOMINE  
 CANDIDATE, esse nequit, cur TVA Amicitia indignissimus es-  
 sem, si ullam occasionem negligerem, qua meum erga te amorem  
 publice testatum reddere possum. En! hoc die in primis eam ambabus  
 arripi manibus, quo praesens Specimen doctissime, (ut iam praevi-  
 deo,) contra impugnantes defendas, simulque Eruditionis TVAE haud  
 vulgaris, certissima prodis pignora. Pagina haec et Humanitas TVA  
 si permetterent, laudarem nunc Diligentiam TVAM ac indefessum  
 Studium in addicendis Iuribus; depraedicarem, quae in TE quotidie  
 mihi et omnibus obseruare licet Ingenii Virtutisque Documenta quae  
 mihi certe Consuetudinem TVAM, sive in Salana suo in Patria Aca-  
 demia, quondam reddidere coniunctissimam, gratissimam. Sed quid  
 opus est uerbis? Virtutis enim TVAE commendatio haud eget Testi-  
 monio, cum haec Dissertatio Inauguralis Specimen luculentissimum  
 Diligentiae et Virtutis TVAE iam satis superque praebeat. Quapro-  
 pter TIBI, AMICE SVAVISSIME, Summos in utroque Iure Honores  
 ex intimo cordis affectu gratulor. Accipe Praemia, quae te optimo  
 iure exspectant. Quod supereft TIBI fausta quaevis cum plurima Sa-  
 lute, sincera mente appreco; nil magis in Desiderio habens, quam  
 ut TE in posterum quoque talem praefestes, qualem te cognitione ha-  
 benuis judicau, nempe: ut mihi, qui iam olim TVVS sum,  
 et quem nosti, saueas. Vale. Scrib. Norimb.

d. XIV. Febr. A. O. R. MDCCCLIV.

E

De

**D**E curatela laudanda est prouida cura,  
Qua sine saluari res priua et publica nescit;  
Ut sine tutela non tutus ab hoste potente  
Esse minor poterat. Quidni **TIBI** plaudere coner,  
**VOLCAMBRE**, donus decor et spes magna paternae?  
Dices, quae poterunt facere et seruare beatos,  
Corpo, uel certe non plena aetate Minores;  
Hinc **TIBI DOCTORI** non gloria parua manebit.

Nobiliss et eruditissimo  
Dom. **DOCTORANDO** Fautori et Amico  
plurimum colendo,  
magnam iuris peritiam congratulatur,  
nes minus se in posterum  
uale commendatum cupit.  
**MARTINVS REINHARDTVS**

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOM. VOLCKAMERO  
CANDIDATO IVRIVM DIGNISSIMO  
S. P. D.  
GEORGIVS CHRISTOPHORVS ERLABECK.

**I**ncredibili perfundor gaudio, dum TE, DOCTISSIME DOM.  
CANDIDATE! in Cathedra publica stantem, et non solum  
eruditissimam Dissertationem Inauguralem, proprio Marte elaboratam,  
sed etiam simul personas omni misericordia dignas, defendantem,  
contempor. Applaudunt omnes boni TVAE uirtuti, praefstantiae at-  
que eruditioni. Applaudunt uero etiam menti TVAE humanissimae et  
mitissimae, imo et iustissimae; qua ductus, non pateris, ut illa ratione  
indefensi sint ti, qui propter aetatem imprimis teneram, aliaque in-  
fortunia, aliena titela et cura, magistratus auspiciis, indigent. Illa  
virtus, qua Dissertationem fortiter defendis, gloriae et dignitatis pre-  
mia

*mia TIBI parabit : Defensio uero miserabilium id efficiet, ut Diuum Numen, quod huiusmodi officia nunquam non largissimis beneficiis remuneratur ; TE Ijjum, TVOSQUE in potentissimam tutelam et curam suam certissime recipiat, et plusquam idonee caueat, RES TVAS, feliciter coepitas, semper SALVOS FORE. Quid ego, qui TE impense amo, a Diuina clementia et bonitate, melius, TVAEQUE fortunae conuenientius, efflagitare, TIBIque adprecari possem ! Vale !*

**CANDIDATE dignissime ! et res TVAS age feliciter ! Iterum Vale ! Dabam Altendorff. d. XIV. Feb. 1700.**

Monsieur

J' Ai l'honneur, Monsieur, de Vous feliciter par ce peu de mots, de la nouvelle preuve de Votre erudition et de Votre science. Vous avez parlé si sçauamment de la convenance du Droit commun avec le Droit de Nuremberg, dans la matière des tutelles et des curatelles, qu'il étoit presque impossible de trouver quelques mots dans Votre Dissertation, pour Vous en pouvoir faire une opposition. Vous êtes donc le plus digne des grands honneurs en Droits. Je Vous en felicite, et Vous souhaité tout le bonheur, qui est capable de Vous rejouir. Continuez d'être mon ami ; Aimez moi encore à l'avenir aussi tendrement, que Vous l'avez fait jusqu'à présent, et faites moi la iustice de croire, que je suis, et serai toute ma vie.

Monsieur

*Votre très humble  
et très obéissant Serviteur  
JEAN PAUL SIGMUND KRESS  
de Kressenstein, Opposant.*

F 2<sup>2</sup>

FRAE-

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
**AMICO AESTVMATISSIMO**

S. P. D.

T O B. H V T H  
 I. V. STVD. OPPON.

**D**efendis hodierno die, AMICE SVAISSIONE, cum omnium  
 applausu Dissertationem doctissime elaboratam, ad ea, quae singu-  
 laris TVA industria TVAEque uirtutes longe merentur, praemia  
 ferenda, et me eruditionis TVAE publicum testem esse iubes. Quid  
 sucius mibi contingere posset, quid iucundius? Tanta cum TVA  
 sit erga me amicitia, facere non possum, quin publice quoque profi-  
 tear, quanti TE faciam, quantumque TE amem! Praeclaras TVAS  
 uirtutes animique dotes ut enumerem laudibusque extollam, nec uires  
 quidem sufficiunt, nec singularis TVA modestia patitur. Interim ta-  
 men hoc mihi superest, ut TIBI singulare eruditionis TVAE speci-  
 men ex animo gratuler, simulque exoptem, ut DEVS T. O. M.  
 TIBI, TVISQUE conatibus nunquam non faueat. Vale! et me,  
 TVI studiosissimum, amare perge! Dabam Altdorfii  
 d. XIV. Febr. A. R. S. CCCLIV.








**ULB Halle**  
003 905 624

3



86





13  
 1754.4  
 Pri.34. Rm.340.  
 20

COLLATIONEM  
 IVRIS COMMVNIS ET NORICI  
 IN MATERIA DE TVTELA  
 ET CVRA

SVB DIVINIS AVSPICIIS  
 DECRETO ET AVCTORITATE  
 MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
 IN CELEBERRIMA ACADEMIA PATRIA  
 SISTIT

ET  
 AD DISPVTANDVM  
 PRO LICENTIA  
 SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
 ATQVE PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI  
 D. XIV. FEBR. A. O. R. C<sup>1</sup>CCCLIV.

PROPONIT  
 PAVLVS MAGNVS VOLCKAMER  
 NORIMBERGENSIS

ALT ORFII  
 TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

